



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti  
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica  
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],  
libri VII**

**Rupertus <Tuitensis>**

**[Köln], 1527**

**VD16 B 3703**

Quam pulchra es, & q[...] decora charissimæ in delicijs Statura tua  
assimilata est palma, & ubera tua botris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34445**

RVPER. IN CANT. CANT. CA. VII.

circundederunt ei, protinus tribus pœnis passio-  
num contummandum, scilicet flagellandum, cru-  
cifigendum, lancea percutiendum. Nam illi qui  
dem iridentes purpuram circundederunt ei, tan-  
quam regi, sed ille serio & purpuram admisit, et  
calamū pro sceptro suscepit in dextera quia cer-  
tissime per hæc fiebat, ut & in cœlo & in terra  
purpuram regni, & sceptrum acciperet imperij  
Proinde purpura illa recte dicitur iuncta cana-  
libus, quia sicut purpura eo magis tingitur &  
preciosior fit, quo uicinius atq; diutius iuncta fue-  
rit tincturæ canalibus, ita passio dilecti eo glori-  
osior est, quo amplius præ cunctis sacrificijs pro-  
cessit secundū consiliū diuinitatis, cuius uideli-  
cet consilij archana, quasi quidam canales sunt  
per quos cucurrit preciosissima hæc tinctura pur-  
purea, qua dilectus iste, qui erat uirginitate can-  
didus, factus est morte uel passione sua, & pma-  
net in æternum rubicundus, deus uere gloriosus,  
& homo ualde speciosus, & in utraq; substantia  
rex unus semper & ubiq; uictoriosus.

Quam pulchra es, & q̄ decora charissi-  
mæ in delicijs Statura tua assimilata est pal-  
ma, & ubera tua botris.

**Decora in  
delicijs.**

Quid est in delicijs pulchram & decoram esse,  
nisi in abundantia gratiæ mansuetudinem sum-  
mamq; humilitatem cordis habere? Deniq; do-  
na gratiarum & intelligentia scripturarum si-  
ue sacramentorū cælestium uere sunt delicia, &  
humilitas cordis uera pulchritudo est, res deco-  
ra, & deo amabilis uirtus est. Hæc in te coniun-  
cta sunt o charissima, tales delicia, talisque pul-

chritudo. Quod enim dixi? Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris. Et ne dubium sit, cui palmæ dicam adhuc.

Dixi ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius Et erunt ubera tua sicut botri uineæ, & odores tui, sicut malorum, guttur tuum, sicut uinum optimum.

¶ Magna igitur humilitas, quam ista pulchritudo sonat, statura tua assimilata est palmæ, quia tale est, ac si dicam, mihi assimilata es omni habitudine mentis tuæ, mihi (inquam) assimilata es, in eo quod in crucem ascendi mitis & humilis corde. Hunc ergo ascensum meum futurum dixi, nec quisquam amicorum dubitauerit quin dixerim tibi. Si enim ipsis amicis dixi: Ecce ascendimus Hierosolymā, & filius hominis tradetur ad crucifigendum, & alia multa adhuc sensum pertinentia: imo si & inimicis dixi: Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, quanto magis o charissima dixi, aut dicere debui: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt ubera tua sicut botri uineæ, & odores tui sicut malorum: guttur tuum sicut uinum optimum: Hoc erat dicere, exaltabor in crucem uictoriosam, & moriendo morte fructuosa, operabor uelociter salutem omnium credentium, et deinde doctrina tua, doctrina legalis atque Evangelica, tempore oportuno palam predicabitur, sicut in autumnis dulces botri comeduntur, & bonus ubique diffunditur odor bonorum operum tuorum, & dulcissimum atque delectabile mihi

Math. 16.  
& 20.

Iohan. 12.  
Ascendam  
in palmā,  
exaltabor  
in crucem